



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 52. Mediolanensium Dux in Germaniam profugus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.  
A. C. 1499.

§. LII.

*Mediolanensium Dux in Germaniam  
profugus.*

*Marian.*  
*l. 27. n. 19.*

Continuata hæc victricium armorum rapacitas tanto terrore Mediolanensium Ducem obruit, ut majori, quam ejus subditi pavore fluctuans, propriis tam viribus quam animo diffusus decerneret, relictis castris ad Metropolim suam confugere; erat enim illa ad frangendos hostium impetus omni armorum apparatu longe instructissima, unde in tantis rerum angustiis haud securius patebat Duci præsidium: Verum ea est illorum Principum, qui in se subditorum suorum concitarunt invidiam, funesta fortunæ necessitas, ut nec in munitissimis locis securos se esse existiment: Accidit enim iniquo satis tempore, quod Antonius Landrianus supremus Ducalis thesauri Præfectus, cum e Palatio exiret, trucidaretur, hujus nece jam inquietissimus timorum turbo Sfortiæ animum obsidere cæpit, & sibi quoque insidias parari, nilque reliquum esse existimavit, quam ut celeri fuga Mediolano excederet, eoquod Gallos jamjam suæ cervicis impendere crederet: Metum insuper urgebat seditio a potissimis ditionis suæ urbibus conflata, quapropter totus in eo erat

erat, ut sine ulla mora fugam arriperet, Sæcul. XV.  
A.C. 1499.  
firmum fixumque habens, ad Germanos, atque Helvetios contendere, ut impetra-  
tis eorum auxiliis rebus suis confuleret:  
priusquam vero urbem præsentia sua de-  
stitueret, omni, qua potuit, solertia ar-  
cis Mediolanensis salutis prospicere cura-  
bat; cum enim ea esset natura & arte  
munitissima, certo sperabat, fore, ut  
Gallorum impetus facile eluderet, us-  
quedum ipse valido exercitu laboranti-  
bus præfidiariis opem ferre posset. Hanc  
arcem defendendam poscebat Ascanius  
Cardinalis Sfortiæ frater, in quo certe  
Dux majorem fidelitatem desiderare haud  
potuisset. Ast improvido Sfortiæ confi-  
lio factum, ut quemdam suorum clien-  
tum, nomine Bernardinum Curtium,  
juvenem inexpertum, ac vecordem Car-  
dinali præferret; ut autem justum fra-  
tris sui dolorem temperaret, eidem sig-  
nificabat, illius consilia sibi esse omnino  
intra Ducatum necessaria, simulque eum  
non sine lacrimis obtestabatur, ut secum  
in Germaniam omnium pretiosissima de-  
ferre non gravaretur, intelligebat autem  
propriam suam conjugem, ambosque  
suos filios, Maximilianum, & Franci-  
scum, unacum quindecies centenis au-  
reorum millibus, atque non minoris va-  
loris utensilibus, aliisque pretiosis mu-  
lierum ornamentis.

*Hist. Eccles. Tom. XXXI, T Nihil-*

Sæcul. XV.

A C 1499.

Nihilominus Isabellam de Arragonia Joannis Galeatii conjugem, ejusdemque filium, novem aut forte decem annos natum Mediolani reliquit, eique Barensem cessit Ducatum, necnon Rosciani Principatum, quos Isabella ob restitutum Arragonensibus Neapolitani regni Sceptrum præmii loco obtinuerat. His ita dispositis tandem ipse Dux Mediolano unacum Estensi Cardinale excessit, valido armatorum comitatu munitus, cui præerat Galeatius Sanseverinas illius gener, necnon Ludovicus Malvesius. Fugientiprimus occurrebat Cajatius, qui supremum exercitus imperium Galeatio fratri suo natu minori delatum fuisse, indigne ferens, Ducis proditor esse non erubuit, ac clam confecta cum Gallis pace Alexandrinæ urbis deditionem promovit; conabatur equidem perfidiæ suæ causas obtendere, & fidei Sacramento, quo Sfortiæ obstringebatur, solutum se existimans, Ducem unacum Equitibus Gallis tam presso pede insecutus est, ut nihil proprius esset, quam ut eum, dum Vallem Tellinam pertransibat, interceptaret; Dux tamen hoc periculum elatus, Oenipontum aufugit.